



## **Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate; de Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non Dissertationem Theologicam de Probabilitate

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

Art. V. Vtrum omnes actus & motus qui sunt in homine, possint subdi imperio rationis?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77355](#)

## DISPUTATIO VNDECIMA

204

vendi intellectum ad actum imperij, est usus quidam virtualis; ita & judicium eam antecedens & regulans, prout dictat cum quadam motione (quam ex intentione praecedenti participat) quod hic & nunc ponendum est actus electionis, seu quod voluntas hic & nunc applicanda est ad electionem, habet rationem virtualis imperij. Unde quamvis in ordine directo, electio praecedit imperium, ut docet S. Thomas loco supra adducto, in ordine tamen reflexo, imperium quoddam virtuale & reflexum praecedit consensum & electionem, & ad utrumque actum praequiritur.

S. II.

Solvuntur objectiones.

**O**BJICES primò contra primam conclusionem: Imperare est intimare voluntati hic & nunc actum esse exercendum: Sed intellectus intimat voluntati hic & nunc exercendum esse primam intentionem; alias voluntas nunquam exerceret eam: Ergo datur imperium ad primam intentionem.

**R**espondeo imperium non solum dicere intimationem, sed etiam motionem quantum ad exercitium: actus vero intellectus praecedens primam intentionem, non habet hanc motionem, ut probatum est; quia voluntas non movet in hac intentione, sed à solo Deo movetur. Unde inter judicium antecedens intentionem finis, & judicium praecedens electionem medium, hoc reperitur discriminem, quod judicium antecedens intentionem, non præsupponit in voluntate alium actum priorem, à qua participet vim movendi, quantum ad exercitium, bene tamen judicium quod electionem praecedit; illud enim supponit intentionem finis, quae hoc ipso quod est virtualis volitus electionis, habet vim movendi ad exercitium ejus, & id est habet rationem imperij virtualis; minime tamen imperij formalis, quia nec gaudet determinata efficiacia circa hanc media in particulari, nec per verbum imperativi, sed indicativi modi exprimitur, ut ante ponderatum est.

**O**bjices secundò: Positā quacumque cognitione, & quocumque judicio indifferenti ex parte intellectus, voluntas manet indifferentis ut intendat vel non intendat hunc finem: Ergo indigit imperio, ut ad hunc potius quam alium finem intendendum determinetur.

Sed negatur consequentia: nam ad primam intentionem homo nec se moveret, nec se determinaret, sed specialiter moveretur ac determinatur à Deo, per specialem instinctum, seu dictamen, quod supplet vices imperij, ut docet D. Thomas hīc art. 3. ad 3.

**O**bjices tertio contra secundam conclusionem: Ad eos actus necessarium est imperium, ad quos requiritur prudentia: Atqui prudentia non solum requiritur ad usum seu executionem medium, sed etiam ad eorum electionem: Ergo & imperium. Major patet: imperium enim, ut supra vidimus, est præcipius actus prudentiae. Minor vero suadetur. Cū electio sit præcipius actus virtutis moralis, quæ idcirco habitus recte electivus dicitur, si ad illam non requireretur prudentia, præcipui actus virtutum moralium fierent sine prudentia, & illa solum ad actum minus principalem virtutum electivarum, scilicet usum, necessaria foret; quod videtur inconveniens.

Respondeo concessa Majori, negando Minorem: ad electionem enim sufficit judicium rationis, elicitum à virtute Synesis, quæ est virtus annexa prudentiae, & prudentia appellatur. Neque ex hoc sequitur electionem fieri sine prudentia privativa, aut contraria, sed solum negativa; id est sine regulatione prudentiae simpliciter dicta; in quo nullum est in inconveniens: nam cùm electio (quamvis sit præcipius actus virtutum moralium) finaliter ad executionem ordinatur, sufficit quod pro executione requiratur regulatione prudentiae simpliciter dicta, & ad electionem regulatio per virtutes integrantes prudentiam, scilicet Eubuliam & Synesium. Si tamen voluntas se supra suos actus reflectat, & suam electionem eligat, sicut intellectus cognoscit suam intellectionem, electio erit à prudentia strictè sumpta, & ab imperio ejus, saltem virtuali & reflexo, ut ex supra dictis patet: nihilominus necessarium non est quod sic reguletur, cùm nec predicta reflexio necessaria sit.

## ARTICVLVS V.

C *Vtrum omnes actus & motus qui sunt in homine, possint subdi imperio rationis?*

S. I.

Pramittuntur quæ apud omnes sunt certa.

**N**O T A N D V M primò, plures & diversos actus, & motus esse in homine, juxta diversitatem potentiarum, quæ in eo reperiuntur: nam in parte ejus superiori sunt actus intellectus & voluntatis, qui sunt motus perfecti harum potentiarum: in parte vero inferiori reperiuntur actus appetitus sensitivi, tam cognoscitivi, ut sunt actus sensuum exteriorum & interiorum, quæ effectivi, ut sunt omnes illi actus seu motus qui dicuntur passiones: sunt etiam actus animæ vegetativæ, ut nutritio, augmentatio, generatio &c. insuper sunt motus membrorum corporis generaliter, & specialiter motus cordis & cerebri. Et de his omnibus (exceptis actibus voluntatis, de quibus diximus articulo praecedenti) queritur in praesenti, utrum possint subdi imperio rationis? quod enim non semper illi subdantur, manifestum est.

Notandum secundò, duplex esse imperium; unum regale & politicum, aliud servile & despoticum: primum non est cum pleno dominio, sed relinquunt subditu libertatem resistendi, unde civis potest resistere imperio regis: alterum est cum pleno dominio, quod admit omnem potestatem resistendi. Hanc divisionem tradit Philosophus i. politic. cap. 3. Explicandum est ergo, quodnam imperium ex illis intellectus in potentias inferiores exerceat.

S. II.

Quatuor conclusionibus difficultas resolvitur.

**D**I CO ergo primò: actus intellectus, quantum ad exercitium, subduntur imperio rationis.

Explicatur & probatur conclusio: Actus intellectus potest dupliciter considerari, uno modo

quantum ad exercitium actus, alio modo quantum ad specificationem. Quantum ad exercitium subditur imperio rationis: qui consideratio intellectus potest esse medium ad subsequendum aliquem finem, v.g. scientiam; unde intellectus potest esse potentia executiva, & sic applicari per usum voluntatis, praeviō imperio de tali usu. Quantum verò ad specificationem, si sit simplex apprehensio, non subditur imperio, sed ipsam habet ex lumine naturali vel supernaturali, quod aliquod objectum attingit: si autem sit iudicium seu assensus, vel dissensus, aliquando subditur imperio rationis: ut quando intellectus versatur circa credibilia & opinablia: cùm enim non convincatur circa illa, potest B per imperium rationis determinari ad utramlibet partem, ut assensum vel dissensum praebeat, vel ut suspendat utrumque; unde fides imperium rationis, & piam motionem voluntatis supponit, ut ostendemus in tractatu de fide, & declarat Augustinus tract. 36. in Joan. dicens: *Intra-re quicquam in Ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, sed credere non potest, nisi volens.* Aliquando verò assensus intellectus non subditur imperio rationis, nec libertati, neque motioni voluntatis; ut quando intellectus versatur circa prima principia, vel circa conclusiones evidenter ab illis deductas: cùm enim convincatur circa illa, est determinatus ad unum naturaliter. Hæc docet D. Thomas h̄c art. 6.

**107.** Dico secundò: Actus appetitus sensitivi subduntur politico & regali, non verò despoticō rationis imperio. Ita S. Doct̄or art. 7. post Aristotelem 3. Politicorum cap. 3. ubi dicit quid ratiō p̄ficiū irascibili & concupisibili, non principatu despoticō, qui est domini ad servum, sed principatu politico & regali, qui est ad liberos, qui non totaliter subduntur imperio.

**108.** Probat ratione D. Thomæ: Intantum aliquis actus subjaceat imperio rationis, in quantum est sub potestate nostra; unde illi qui sunt totaliter sub potestate nostra, subjacent imperio rationis despoticō; qui verò non sunt totaliter sub nostra potestate, sed possunt ratione prohibente insurgere, aut ē imperante languore, dicuntur subesse regali & politico rationis imperio: Sed actus appetitus sensitivi sunt sub potestate rationis, juxta illud Genes. 4. *Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius:* non tamen totaliter & perfectè: Ergo subduntur politico & regali, non verò despoticō rationis imperio. Minorem probat S. Doct̄or: quia cum appetitus sensitivus sit virtus organo corporeo affixa, ejus motus dependet à duobus, nempe à virtute appetitiva, & à dispositione organi; sicut visio, quia est actus potentia visivæ corporeo organo affixa, non solum dependet à potentia visivæ, sed etiam à qualitate & dispositione oculi, per quam juvatur aut impeditur: unde licet actus appetitus sensitivi subdatur potestate rationis, quantum ad illud quod se retinet ex parte potentiae (nam illud quod est ex parte potentiae sequitur apprehensionem imaginationis, quæ cum sit particularis, regulatur ab apprehensione rationis, quæ est universalior, sicut virtus particularis activa regulatur à virtute activa universalis) tamen quantum ad illud quod est ex qualitate aut dispositione organi, rationis potestati non subditur, quia illa qualitas non est in nostra potestate.

A Dico tertio, actus potentiarum vegetativa- 109  
rum non subdi imperio rationis.

Rationem hujus conclusionis assignat D. Thomas h̄c art. 8. ex disparitate qua est inter sensitivas potentias & vegetativas: nam illæ sequuntur formam apprehensionis; atque adeò cùm hæc apprehensionis rationi subordinetur, tanquam aliqua imperfecta ejus participatio, rationis subordinationis sequuntur: At verò potentiae vegetativa sequuntur formam naturalem, & merè naturaliter agunt; ratio autem non habet aliquod dominium supra naturam: Ergo actus potentiarum vegetativarum per se & directè non subdunt rationis imperio, sed indirectè tantum & per accidens, quatenus actiones illæ, quæ præcedunt actus hujusmodi potentiarum, ut comedere, bibere, & similes, sunt in nostra potestate; unde per subtractionem vel ministracionem alimenti potentia nutritiva & augmentativa possunt ad suas operationes applicari, vel ab illis suspendi.

C Ex quo facile solves instantiam quæ fieri posset de actibus temperantia, qui ad partem vegetativam pertinere videntur, & tamen subdunt rationis imperio, & sunt laudabiles & meritorij. Respondetur enim actus temperantia esse formaliter in appetitu sensitivo, licet versentur circa delectationes tactus & gustus, quæ percipiuntur in applicatione materiae, circa quam nutritiva & generativa habent actum, & sic indirectè & per accidens actus hujusmodi potentiarum subdi rationis imperio, non tamen directè & per se; non enim quisquis vult crescere crescit, neque quisquis vult digerere cibum, ipsum digerit, sed ille tantum qui habet dispositiones corporis ad hujusmodi actus necessarias.

D I Dico ultimò, motus membrorum exteriorum subdi despoticō rationis imperio, quantum ad motum localem. Est etiam D. Thomæ h̄c art. 9.

Probatur: Imperium tunc dicitur despoticum, quando inferior ad nutum & sine resistentia superiori obedit, ut notabilis secundo declaravimus: Sed membra exteriora ad nutum & sine resistentia rationi obediunt quantum ad motum localem, juxta illud Augustini 8. Confess. cap. 9. *Imperat animus ut moveatur manus, & tanta est facilitas, ut vix à servito discernatur imperium:* Ergo membra exteriora subdunt quantum ad motum localem imperio despoticō rationis. Dixi *membra exteriora*, quia motus cordis, cùm sit fons & origo vita, ab ipsa natura, vel à generante, non verò à rationis imperio derivatur. Excienda sunt etiam membra quæ generationi deferviunt; illa enim rationi non obediunt, etiam quantum ad motum localem, sed ejus imperio sapè resistunt, *ut anima sua inobedientia ad Deum, in illo precipue membro p̄nam patiatur, per quod peccatum originale ad posteris traducitur:* inquit Augustinus lib. 14. de civit. cap. 16.

E Objicies contra hanc conclusionem: Membra exteriora non moventur à ratione, nisi mediante appetitu; quia juxta probabilem sententiam, potentia appetitiva est locomotiva, membra verò solum sunt ejus instrumenta: Atqui ratio non imperat despoticè appetitui sensitivo, sed politice tantum, ut in 2. conclusione diximus: Ergo nec membris externis, quantum ad motum localem.

C Respondeo duplē esse distinguendum mo-

112.  
C iii

tum in appetitu sensitivo , unum quo fertur in A objectum sibi proprium & conveniens , qui est quedam concupiscentia , seu appetitio boni sensibilis ; alium quod movet membra ad operandum : licet autem in ordine ad primum motum plenè & perfectè , seu despoticè rationi non obediatur , benè tamen quantum ad secundum , nisi forte iste alteri repugneret .

## §. III.

*Corellarium praecedentis doctrine.*

**n<sup>o</sup>.** **E**X dictis in decursu hujus tractatus habes . In processu agentis intellectualis , plures actus , sive intellectus , sive voluntatis reperiri , qui ad octo praecipios possunt reduci . Primus est simplex volitio finis : de qua disp . 4 . Secundus intentio , qua est volitio efficax consecutio- nis finis : de qua disp . 8 . Tertius consilium , quod non solum importat inquisitionem mediiorum , sed etiam judicium seu sententiam , quā unum cæteris esse præferendum judicatur , ut disput.

10. ostendimus . Quartus dicitur consensus , quō voluntas complacet sibi de mediis inventis , & approbat illa , ut ibidem declaravimus . Quintus est ele<sup>c</sup>tio , quā voluntas acceptat unum prae aliis : de qua disput . 9 . Sextus imperium , quō intellectus cum motione quadam , a prae denti ele<sup>c</sup>ctione participata , intimat voluntati executionem mediiorum . Septimus usus , quō voluntas applicat potentias exequentes ad opus , ut disp . 11 . fūsē monstravimus . Octavus est ipsius finis assecutio , ex qua resultat quies seu delectatio , qua fructu appellatur : de qua disput . 7 . Quinque primi actus pertinent ad ordinem intentionis , qui incipit à volitione & intentione finis , & terminatur ad ele<sup>c</sup>ctionem mediiorum : tres vero ultimi spectant ad ordinem executionis , qui incipit ab imperio , & ad fruitionem terminatur .

Hos actus , ut sunt intra ordinem physicum , toto hoc tractatu consideravimus : in sequenti de illis , ut ad ordinem moralem pertinent , & bonitatem vel malitiam moralem fundant , Deo fayente , disseremus .

